Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



accedunt ad eum sumi sacerdotes et scribe et seniores · et dicunt illi
In qua potestate hec facis · et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias
Iesus autem respondens · ait illis interrogabo et ego vos unum sermonem
et respondete michi · et dicam vobis in qua potestate hec facio Baptismum
Johannis erat de celo an ex hominibus · respondete mihi · At illi cogitabant · et si dixerimus de celo · dicet nobis · Quare non credidistis
ei Si dixerimus · ex hominibus timemus populum · omnes enim habebant
Iohannem · quia vere propheta erat Et respondentes · dixerunt iesu Nesciimus · Respondens iesus ait illis Neque ego dico vobis in qua
potestate hec facio Sequitur capitulum XII

Et cepit illis loqui in parabolis Vineam homo plantavit et
circumdedit sepem et fodit lacum et edificavit turrim
et locavit eam agricolis · et peregre profectus est · Et misit ad
agricolas in tempore seruum · ut ab agricolis acciperet de fructu vinee
Qui apprehensum eum ceciderunt et dimiserunt eum vacuum · Et iterum
misit ad eos alium seruum · et illum vulnerauerunt in capite et contumelijs affecerunt · Et rursus alium misit · et illum occiderunt · Et
plures alios · quos quidem cedentes · alios autem occidentes · Adhuc vnum
unum filium habens karissimum · et illum misit ad eos nouissimum dicens
Quia forte verebuntur filium meum · Coloni vero dixerunt ad inuicem
Hic est heres · venite occidamus eum et erit nostra hereditas · et apprehendentes eum eiecerunt extra vineam · et occiderunt eum · Quid ergo
faciet dominus vinee · veniet et perdet colonos · et dabit vineam alijs
Nec scripturam hanc legistis · Lapidem quem reprobauerunt edificantes hic factus est in capite anguli · a domino factum est istud
et est mirabile in oculis nostris Et quebant eum tenere · et timuerunt
turbam · Cognouerunt enim · quia ad eos parabolam hanc dixit
et relicto eo abierunt Et mittunt ad eum quosdam ex pharisaeis et herodianis ut eum caperent in sermone Qui venientes dixerunt ei Magister scimus quia verax es et non curas quemquam nec
enim vides in facie hominum · sed in veritate viam dei doces Licet dare
tributum cesari an non dabimus · Quid sciens hypocrisim illorum ait
illis Quid me tentatis Afferte mihi denarium ut videam
Et illi attulerunt ei Et ait illis Cuius est hec ymago et inscriptio
Dicunt ei · cesaris Respondens autem iesus dixit eis Reddite igitur